



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 1. Variæ Dei, variæ Diaboli caussæ, ob quas monstra inducunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Medit.  
cap. 29.


stinus Deum ita laudat : *Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas, & absque tadio regis, & nihil est, quod perturbet ordinem imperij tui, vel in summis, vel in imis.*

## CAPVT XII.

*Quarta monstrorum caussa diabolus se transfigurans, ut probeat, terreat, puniat, & suam deformitatem detegat.*

§. I.

*Varia Dei, varia diaboli caussa ob quas monstra inducunt.*

 *Aussam dixi, ob quam Deus benignissimè voluerit virginem, inftar vrsæ apparere: hac enim forma perterritus est lupo, qui òui insidiabatur. Quo pacto autem, in vrsæ specie virgo fuerit tecta, non puto esse disputandum. Sunt enim Deo multi modi, quibus id fieri potuit. Benefecit, quocumque demum fecit modo; dum texit, protexit. Malus dæmon, simia Dei, producit & ipse monstra, Deo vel iubente, vel permittente; sed longè alio fine. Id enim Deus facit, vt potentiam*

tiam suam ostendat, vt prodigijs sua & sacramentorum vis innotescat; vt succurrat sanctis; vt virtutes defendat; vt moneat; vt emendet; vt clementer puniendo faciat; ad quas res etiam dæmones, tanquam iræ suæ instrumenta, adhibet; immò etiam ob utilitatem proborum, quorum per dæmones virtutē exercet. Ab alio fine monstrificus est Orcus. Nam nefarius Spiritus idem cum facit, vel terrere vult, vel torquere, vel prodere, vel fallere, vel, quod non inuitus facit, punire & perdere. Quas ob causas plurima sanè Acherontica monstra legimus, iustissimo Numinis iudicio, nequissimo dæmonis consilio, hominibus sæpè apparuisse, vel certè alia prodigia Stygijs artibus procurata. Modi sunt varij, quibus hic se Proteus sistit contuendū; quibusque vera, vel ficta monstra oculis fascinatorum, aut non fascinatorum obijcit. Siquidem & ipse vt formidabile monstrum se repræsentat; & eos, quos in possessionem accepit, monstris similes reddit; & denique in veris vel apparentibus monstris variorum animalium fabricandis laborat. Quæ tria genera ordine percurramus, vt videas non jam Ianum geminum,

C c                      seu

seu Quirinum, seu Consiuium, seu Iunoniam, seu Curiatium dicere posse:

*Nomina ridebis, modò namq̄ Patulcius idem,*

*Et modò pacifico Clusius ore vocor:*  
sed multò magis talem nominum & formarum varietatem Auernalibus polyphis conuenire.

§. II.

*Diaboli atra forma apparentes.*

Pet. Binsfeld. in tract. de Confess. malef. cor. prælud. 12. Vide Cæl. Rhodig. l. 16. Lect. antiq. c. 5. Matth. 4.

In primis, igitur quia ipse Spiritus, tanquam abortiuus, è cælo cecidit, atque ex Genio pulcherrimo, in deformem admodum draconem est mutatus; de iusto peccator, de capace beatitudinis damnatus, ex angelo diabolus; idcirco vt vel hinc homines vitia abominentur, cogitur plerumque talis apparere, qualis est, hoc est, monstruosus; tametsi subinde etiam se in Angelum lucis sinatur transfigurare. Hinc varios horribilesq̄ prodigiosarum belluarum vultus induit, vt olim Iobum tentaret; vt alios vel in vrbe, vel in solitudine commorantes diuexaret. Et quamquam nescitur, quo schemate Christum sit allocutus, facile tamen cogitatur fuisse tale, ex quo bestia illa nosceretur. Quin etiã quando